



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118324

§. 84. Ladislaus Poloniæ Rex in prælio occisus

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

Sæcul. XV.
A. C. 1444.

stiani immodico hostium suorum numero oppressi, non nisi, ut sibi ferro fugæ viam aperirent, dimicabant.

§. LXXXIV.

Ladislaus Poloniæ Rex in prælio occisus.

Ladislaus juvenili audaciæ & victoriæ ardore animatus confertissimis hostium turmis sese ingerebat, & necquicquam eum retrahente Huniade, cunctis obviis dextra, lævaque prostratis, ad Janisaros, ut vocant, penetrabat, atque in collem, ubi Amurates castra posuerat, temere impingebat. Quo factum, ut Juvenis Princeps vigesimo ætatis suæ anno necdum expleto, a suis derelictus, confosso equo, inter medios hostium enses ceciderit, iisque non tam cæsus, quam obrutus occubuerit, cujus caput abscissum, hastæque infixum Turcæ in partæ victoriæ trophæum omnium oculis exposuerunt.

Bonfin. l. c.

Tum demum hostiles copiæ, quæ hucusque de victoriæ gloria desperabant, resumpto animo illos, a quibus paulo ante in fugam acti erant, retrocedere compellebant. Refert Bonfinius, Amuratem, cum suos ingruente proelio titubare, ac terga vertere cerneret, initi fœderis literas e sinu suo extraxisse, atque in-

intentis ad coelum oculis exclamasse: *Sæcul. XV.*

Hæc sunt Christe Jesu fœdera, quæ Christi- *A. C. 1444.*

fiani tui mecum percusserunt, per nomen tu-
um sancte jurantes. Nunc si Deus es, tuas,
measque hic injurias te quæso ulciscere &c.

Vix hæc effatus, inquit idem author,
Christianorum exercitus debellari cœpit.
Nihilominus si Huniadi par animus, ac
Ladislao Regi fuisset, haud dubium, quin
ea dies & Amurati vitam, & forte po-
steris ejus imperium Græciæ abstulisset;
verum ille, ut ex nonnullorum Histori-
corum relatione discimus, simulac Chri-
stianorum signa cedere conspexerat, con-
festim cum decem millibus, partim Hun-
garis, partim Valachis ex acie se subtra-
xit, & nequidem salutato Rege fugam
importuno admodum tempore arripuit;
nondum enim victoria certo in Turcas
propendebat: forte id ab illo ideo fa-
ctum, quod diuturna, quam ex variis
bellis hauserat, experientia edoctus, re-
conclamata fatius esse judicaverit, resi-
duam exercitus partem fuga salva-
re, quam integrum infausto Marte
amittere.

§. LXXXV.

Ladislai cadaver honestæ sepulturæ
Amuratis jussu traditum.

Amurates corpus Ladislai Regis in hoc
infausto certamine occisi, in ipso pu-

G 2

gnæ